QUAEDAM DE HISTORIA ATQUE DE UTILITATE PARTUS CAESAREI...

Gaetano Morando de Rizzoni



QUAEDAM DE HISTORIA

ATQUE

DE UTILITATE PARTUS CAESAREI

Dissertatio

QUAM

SUMMIS MEDICINAE HONORIBUS

RITE OBTINENDIS

IN ANTIQUISSIMA PATAVINA SCIENTIARUM UNIVERSITATE

PUBLICE LEGEBAT

NOB. CAJETANUS MORANDO DE RIZZONI



PATAVII

EX TYP. CRESCINI

1846

Zepetto

FRANCISCO, ALOYSIO NOBILIBUS MORANDO

AVO, PARENTI.

NOB. ALOYSIO SERIATI, PATRUO:

DULCISSIMIS

IN OBSERVANTIAE ET GRATITUDINIS
TESSERAM

CAJETANUS MORANDO

Evolventi mihi Lacedaemoniorum historiam inhumana profecto occurrit lex quam de infantibus Lycurgus tulit, qui infirma valetudine et vitioso corpore in hanc lucem edebantur. Praecepit ipse ab sinu matrum suarum omnes divelli, et in altissimam voraginem praecipitari. Nil atrocius sane unicuique videri potest et sanctis naturae humanitatisque juribus magis adversum; sed recensita politica dispositio, scopo illius temporis legislatoris, et regiminis indoli putabatur apta, utpote quae cives ad bellum aptos patriae comparabat, vitae luxuriem, commercii commoda, divitiarum cupiditatem prohibebat, ut ita respublica, in qua morum severitas imperabat, in perpetuum consisteret. Sed ipsa temporum vicissitudo alias consuetudines naturae magis consentaneas induxit. Splendidissimum Divinae Religionis jubar, quanta esset humanitatis virtus manifestavit. Haec viros principes hortata est, ut leges ferrent mitiores, et magis hominum vitam tuerentur, haec providit, ut ipsi non solum physicae hominum salutis sed praesertim virtutum curam haberent.

Quod quum bene viri principes vidissent, omnem operam et studium ad instituendos mores et ad animos dirigendos converterunt. Quamobrem imprimis patuerunt

academiae, lycea, gymnasia, literarum et scientiarum publica domicilia, ubi propositis amplissimis praemiis, fervet amore discendi juventus, excutit favillas ingenii, et lucem alit, quae in totum terrarum orbem diffundi queat. Atque hac quidem luce maxime nunc Italia, Anglia, Gallia, Germania illustrantur.

Verum quae disciplina ex tenebris clarissime emersit, Medicina fuit, et quamvis priscis temporibus flocci facta, scholasticarum hypothesium caligine fere obruta latuerit, tamen regum munificentia hanc divinam matronam ex humilitate sua atque obscuritate manu duxit in superbas aedes, ubi depositis sordibus, et remoto velo incertarum doctrinarum, totam se conspiciendam dedit pulcherrimam atque honestissimam. Ecquis revera est, qui ingentes progressus ignoret nostris diebus anatomiae, chaemiae aliarumque scientiarum, quae ad Medicinam pertinent?

Quod si gloriosum est atque utile ferro aut pharmacis salutem hominibus restituere, quos morbi inclementia torquet; quid dicam, quum nonnulli in primo vitae limine cum morte contendentes artis ministerio salvi fiunt? Si imperium magis floridum est, quo major populi numerus, ars profecto extrahendorum conservandorumque foetuum finem sibi proponit maxime utilem, quia eodem tempore duo sunt, qui in vita retinentur. Verum non semel Chirurgus vel excellentissimus in dubio versatur, utrum uni an alteri vita servanda sit. Spectat hujus dubii pertractatio ad Medicinam legalem, ex qua nimirum argumentum haurio, quod modo disputandum mihi suscipio. *Utrum scilicet magis deceat partum artificialem instituere septimo gestationis mense in muliere, cui non sint diametri pelvis regulariter proportionales, an vero ad gastro-hysterotomiam, completa jam graviditate, confugere.*

Foetus, qui de matris utero naturae viribus exire nequit, extrahebatur etiam a remotissimis temporibus, quamquam antiquissimis legibus haec operatio in muliere viva institui non posset. Scimus, Numam Pompilium poenas gravissimas illi inflixisse, qui mortuam in statu graviditatis foeminam sepulcro mandaret ante foetus eductionem, et veteres religiose colebant eos, qui per sectionem caesaream ex materno utero lucem salutassent. Ipsum Hippocratem non latebat, nihil ad servandas ab imminenti morte mulieres magis interesse, quam instrumentorum opera infantes educere. Ait Plinius Scipionem Africanum, sicut etiam primum Caesarum, gastro-hysterotomia ab utero matris liberatos fuisse: *Auspicatius*, inquit, *enecta parente gignuntur, sicut Scipio Africanus, primusque Caesarum a caeso matris utero dictus.*

Omitto quaestiones de nativitate Caesaris, quem alii putant in lucem editum post matris obitum, alii vero viva adhuc matre. Ad saeculum reapse XV. referenda est eductio foetuum ab utero materno per operationem caesaream viva muliere. Ea enim aetate, si fides adhibenda est Bauhino, omnium primus inter Helvetios Jacobus Nuffer operationem in propria uxore instituit tam prospera fortuna, inquit Platnerus, ut nihil omnino sinistri ei contigerit, immo post biennium mulier binos foetus tulerit, inde fuerit quater gravida, et ad tardam senectutem pervenerit. Plures tamen ex Chirurgis hoc facere non sunt ausi in viventi foemina, eo quod certum operationis exitum mortem fore crederent, et contrarias observationes tamquam fabulosas rejicerent. Tandem elapso multorum annorum spatio, repetitis experimentis, veritas errorem vicit. Animadverterunt ipsi uteri vulnera non esse insanabilia, uti falso existimabant. Praeterea eos movit aspectus miserrimarum mulierum, quae cum par-

tum eniti non possent, inter acerbos dolores mortem proximam expectabant, et illa movit consideratio, quod matre mortua, infans difficillime vivus reperiebatur. Itaque sententiam sequuti sunt Hippocratis et Celsi, qui dicunt: *Melius esse anceps remedium experiri, quam nullum.* Matri igitur et filii vitae una simul prospexerunt, dum illa in faucibus mortis versatur indubiae, hic mox versari potest.

Processu temporis hujusmodi salutaris operatio probata quampluribus late fuit, quae innititur rationi, experientiae, observationi, et tum Medicorum, tum Chirurgorum auctoritati, inter quos celeberrimi ac doctissimi numerantur Zacchias, Heisterus, Deventer, aliique, qui ad unum omnes sectionem illam tuto institui posse demonstraverunt, et arma caeperunt contra Pareum, Guillemeau, Rollfingium, Sollingen, Moriceau, Dionysium, qui illam crudelem semperque matri fatalem dictitabant.

Recentiores autem Chirurgi illud sibi investigandum proposuerunt, num alia ratio esset, quae minora damna importaret, et duplicem vitam, matris nempe, et foetus, in tuto poneret. Itaque cum animadvertissent nasci pueros, evolvi, et ad senectutem pervenire etsi octavo, vel septimo gestationis mense utero fuerint exclusi, excogitarunt partum praecocem arte promovendum esse ante tempus, quod natura praescribit. Existimant insuper, foetum, nondum perfecta capitis ossificatione, posse pelvis vel augustissimae tractum percurrere sine ulla laesione sua, et sine matris periculo.

Idem ipsum octuaginta circiter abhinc annis Anglus Cooper animo et cogitatione perpendit, quod cum Chirurgorum londinensium consentione comprobatum fuit, obstetricus Kelly, ut scimus, primus omnium perfecit. Recens Paullus Scheel hujusmodi propositionem enuntiavit: *Si sectio caesarea vel dissectio foetus maturi,*

partu instante, ob pelvis angustiam necessaria videatur, matris autem debilitas, vel cachexia operationi impedimento sit, abortus liquoris amnii detractione tempestive excitatus, forte salutifer.

Quae angli Auctoris propositio pro nihilo habita, fere oblivioni tradita fuit, quum Johannes Barlow ex Boston eam iterum commendavit, et utilem invenit, si mulier septem mensium gravida foret, et hinc vitalis infans; atque rem prospere sibi cessisse affirmat. Potentissimos ipse fautores habuit, inter quos Leighton, Meriman, Wenzel, Weidmann, Frobriep, Reusinger, Siebold. Nunc etiam in Gallia et Germania, omissa fere sectione caesarea, nonnulli praecocem partum instituunt, eumque tutiorem admittunt. Angli e contra, nostra praesertim aetate, novis observationibus edocti, partum illum fere contemnunt.

Sed me magis commovet illorum sententia, qui filium immolandum potius esse docent, ut salva sit mater, a tribus conceptionis mensibus. In hanc rem optime Ovidius:

Hoc neque in armeniis tigres fecere latebris,
Perdere nec foetus ausa leaena suos.
At tenerae faciunt, sed non impune, puellae:
Saepe suos utero quae necat, ipsa perit.

Ea autem est Levreti aliorumque opinio, ut nec filius matri, nec mater filio immolanda sit; sed amborum salus conservari debeat. Hisce praepositis, quae ad historiam pertinent operationis, de qua disserere suscepi, necesse est ut ad rem nostram propius accedamus.

Determinato exteriore pelvis diametro a pelvimetro Baudelocque, et interiore a digito, seu mensuratore Stein vel Coutuly, quaerit Chirurgus quae sit foetus magnitudo, utpote nimirum quia si solito minorem depre-

hendat, artificialem partum retardat, si autem majorem, omnia tentat, ut repetitis sanguinis missionibus, severa diaeta, frequenti motu, purgantibus remediis corpus foetus imminuat. Quibus positis cum ad partum ipsum praecocem deveniendum sit, pungi debet amnii membrana, ut lentus aquis exitus pateat, et promotis uteri contractionibus foetus educatur. Ut autem erumpant aquae, G. R. Wenzel utitur primum specillo obtuso; huic cannula succedit argentea aliquantisper curvata, quae acutum telum abscondit, ad feriendas membranas adcommodatum. Instrumentum ipsum varia ratione permutarunt Chirurgi alii, neque desunt qui lithotomo usi sunt fratris Cosimi. Peculiare instrumentum Siebold proponit in extremitate obtusum, intra quod ferrum includitur, quod Galli *trois-quarts* appellant, et dilatato vel minimum uterino orificio in uterum immitti docet, quin externae aut internae partes laedantur.

Richter cavum cylindrum excogitavit undecim pollices longum, et diametri trium linearum, curvatum in superiore parte quae subtilior est. Aciem continet, quae libere educi potest per duas circiter lineas; in parte interna absconditur argenteum elaterium, quod perfecte conjungitur cum interna cylindri parte, et aërem excludit; ad cujus extremitatem reperitur punctum saliens, quod vetat ne telum emittatur plus quam par est. Praeterea ad duos circiter pollices super manubrium utrique instrumenti lateri nectuntur duo parvi tubi argentei, quorum unus ad similitudinem pelvis factus, stillantem aquam colligit, alter unum pedem longus, attrahit membranas absorpto aëre. Instrumentum sane complicatum.

Cognita igitur operationis necessitate et opportunitate, opus est gravidae mulieris alvum exonerare per clysteres, et catheterismo urinam extrahere. Deinde mulier vel in lecto, aut in sede ad partum destinata collocatur

elevato capite, divergentibus genibus et ad pectus adfixis, dum aliquis truncum tenet. Post haec Chirurgus indicem et medium digitum in vaginam introducit, titillat quinque aut decem minutorum spatio os uteri, immittit extremitatem indicis ad explorandas, si fieri potest, membranas, et aperit instrumento viam. Tunc digitum indicem retrahit, et ultra instrumentum impellit, donec membranarum oppositionem percipiat, admotaque instrumenti acie ad membranas, telum ad eas perforandas manu dextera injicit. Operatio facta est, si aqua in memoratam pelvim colligitur, quod obtineri etiam potest usu catheteris. Aliquanto post uteri contractiones excitantur, et paullatim os et collum uteri dilatatur. Quamobrem foetus aut a laceratione membranarum, aut etiam serius utero egreditur, et mulier ab illa diuturna doloris acerbitate liberatur, exeuntibus deinde secundis.

Haec sunt, quae de precoci partu artificiali, et de operationis methodo adnotanda putavimus. Cum vero nonnulli existiment partum illum gastro-hysterotomiae praeponendum esse, aequum est ut de hac quoque sectione verba faciamus. Et primo quidem ad artificialem partum instituendum necesse nobis videtur determinare: I. Tempus conceptionis foetus ad ejus vitalitatem dignoscendam: II. Ejus evolutionem, et evolutionis momenta: III. Demum pelvis, atque etiam capitis foetus dimensiones.

Haec criteria profecto haberi non possunt, quae cum praesumptiva solummodo sint, numquam autem certa irritum faciunt diligentissimum examen multiplicium signorum, quibus innituntur. Hinc vel ipsi peritissimi Chirurgi in errorem induci quandoque queunt.

Non nego equidem foetus septimestres hanc lucem salutasse, et de conceptionis momento mulieres aliquoties certiores factas fuisse. Difficillimum tamen esse affir-

mo tempus illud plerumque ex phaenomenis statuere, quae graviditatem comitari solent. Quod spectat ad cessationem menstruorum, nauseam, vomituritionem, vomitum, cephalalgiam, aliaque hujuscemodi, incerta ea sunt apud medicos graviditatis signa, utpote quae quandoque ab aliis causis proficiscuntur. Ita non defuere mulieres quae existimarunt se a decimo aut undecimo, aut etiam ulteriore mense gravidas esse, ex eo quod catameniorum suppressio, et aliqua molestia conceptionem praecessissent. Aliae e contra quae mense septimo aut sexto peperisse arbitratae sunt, in errore versabantur, quia duobus vel tribus gestationis mensibus menstruantes fuere, et levia fastidia, quae graviditatem certam foeminis faciunt, apparuere solum menstruatione cessante. Deventer historiam refert mulieris, quae tum tantum catameniis donata erat, quum utero gerebat, cum optima ceterum valetudine.

Etiam Schmidt in Actis Academiae Josephinae Vindobonensis foeminam memorat, quae quinque jam mensibus praegnans, rem constanter negavit, quod in lunari sua purgatione perseverabat.

Neque mammarum intumescentia pro certo graviditatis signo usurpanda est; praeter enim quam quod diversa est in variis feminis mammarum moles, historiae non desunt foeminarum, quarum mammae in graviditate non augentur, nec non virginum et virorum, quorum mammae lac praebuerunt, ut legimus apud Schenkium, Morgagnium, Bonnetum.

Anne externa abdominis aucta moles foetum in septimo mense indicabit? Quoties autem extensio istiusmodi aquarum copiae debetur? Praeterea nonne scimus, saepissime aquis illis parvum foetum innatare?

Si foetus in utero mobilitas est in ratione inversa aetatis: ergone ex majori aut minori mobilitate septimum

mensem dignoscemus? Quomodo autem rectum de mobilitate judicium ferre possumus, ubi major sit aquarum copia? Tanta nempe interdum fuit quantitas aquarum, ut potius hydrometra, quam vera graviditas existere videretur.

Dicunt, variam quoque uteri elevationem indicare posse hujusmodi aetatem. Sed hoc etiam in dubiis habendum est. Multiplices aliae causae uterum elevare possunt, et praesertim vitiata pelvis. Certe uterus praegnans, quum volumine augeatur, diutius contineri nequit in angustissimo loco; hinc si in inferioribus partibus spatium desit (quod accidit in multis mulieribus) fertur ille ad superiora. Atque ita credimus foetum septimum mensem attigisse, qui ne ad sextum quidem fortasse pervenit.

Motus porro varii, quibus foetus gaudet in utero, aliquid docent de gestationis tempore. Verum animadvertendum est, sensibiles et nervosas foeminas citius motus illos experiri; non ita illae quae diversae constitutionis sunt, quarum aliqua nihil prorsus sentit. Quibus omnibus addendae sunt convulsiones et affectiones hystericae, quae aliquando foetus mobilitatem, et auctam uteri molem simulant.

Denique explorationem alii tamquam fundamentum considerant ad foetus aetatem statuendam. Posset enim examini subjici longitudo colli uteri, dilatatio labiorum, oris forma et amplitudo. At haec aeque incertissima: I. quia longa annorum experientia opus est: II. quia formae et modificationes physiologicae nonnullae ab originaria praedispositione, aliae a praecedentibus morbis pendent; III. quia oris ipsius varietates percipi minime possunt ob uteri obliquitatem, quae extraordinariis pelvis inclinationibus saepissime adjungitur, ut in mulieribus rachitide laborantibus.

Sed concedamus certa esse indicia quibus conceptio-

nis momentum possit determinari; concedamus etiam, nullam in iis dignoscendis esse difficultatem. Sententia est Gardien, dispositionem ad vivendum, quam foetus acquirit circa septimum gestationis mensem, differre ob causas plurimas, quae tum a matre, tum a foetu derivantur. Ita autem Spiegelius: *Nulla alia esse potest, quam maturatio et perfectio foetus, quae fit in utero incerto tempore, et variis interdum mensibus, ob facultates corpus foetus gubernantes vel debiliores, vel robustiores.* Plinius, ubi agit de partu, qui post tempus a natura statutum habebatur, legitimum dixit; animadvertebat enim, quod: *nullum certum tempus pariendi videretur. Neque idcirco mirandum est Vestiliam romanam septimo mense peperisse Symphronium, undecimo Julium, Rufum, septimo Corbulonem, octavo Caesaniam.* Et revera major minorve evolutio foetus ex variis conditionibus manat. Hujusmodi est nimis abundans, vel tenuis alimenti quantitas, hujusce qualitas plus minusve assimilabilis, sanguinis in placenta cita vel tardior elaboratio, salus vel infirmitas matris et foetus, denique parentum robur et temperamentum.

Absurdum vero est, diaetam, purgantia remedia, sanguinis missiones foetus volumen minuere: nam plurimae faeminae fame fere consumptae, et post sanguinis repetitas depletiones tum generales, tum locales, filios pepererunt qui optime evoluti perfecta sanitate fruebantur; nonnullae e contra quibus vita omni deliciarum et alimentorum genere redundabat valetudinarios et parvos filios in lucem edidere.

Ad haec quae superius enuntiavi, illud quoque addendum est, instrumenta ad dimetiendum opportuna, esse quandoque fallacia, atque idcirco summam difficultatem exsurgere in determinandis adamussim dimensionibus omnium partium pelvis et ullo magis si de mole quae-

ramus, quam exhibet caput foetus, ut comparatio necessaria instituatur, et de partu obtinendo spes effulgeat.

Obstetricus qui optimam esse pelvis conformationem affirmavit, vidit non semel vita concessisse mulieres et infantes, quorum conservatio ab arte expectari poterat, dum e contra ad naturam ipse confugit, quum scilicet nihil aliud requirebatur, quam aliqua artis peritia.

Si ergo signa certa desiderantur ad conceptionis et evolutionis tempus definiendum, si dimensio pelvis, ejusque ratio ad foetus molem aeque incerta est, discrimen nunc videamus oportet, quod est inter partum praematurum naturalem, et arte provocatum. Fateor equidem in mulieribus, quae naturaliter septimo vel octavo mense pariunt, uteri collum explicari citius, quam in iis, quae ad nonum usque mensem gestant; fateor, dolores sponte excitari atque succedere, ut in maturo partu, quin aliena causa intercedat. Hi quidem dolores nec ex defectu proficiscuntur exstensionis uteri, nec ex irritatione accidentali, quae inde emanat, sed ex defectu aequilibrii inter fibras, quae uteri collum constituunt, et inter actionem aliarum partium hujus visceris, quae foetum ad inferiora premunt. Quas quidem felices dispositiones fere nunquam invenimus in mulieribus, in quibus ob praeternaturalem pelvis conformationem partum cogere volumus, cumque praematurum habere utile existimamus.

Uteri collum septimo mense incipiente semiapertum perraro, immo valde spissum ac durum est, ita ut vis adhibenda sit, ut dilatetur; porro dolores et contractiones hujus visceris tunc fieri nequeunt, nisi per vehementissimam et diutius productam irritationem; sed haec omnia secundum naturam non sunt, atque hi dolores sive uteri contractiones plerumque eodem momento temporis cessant, quo cessat irritatio.

Si vero aquarum saccus laceratur antequam uteri orificium non satis sit dilatatum, et visceris actio ad foetum expellendum non salis sit efficax, tum dolores, ut affirmant Baudelocque et Gardien, aliquandiu quiescunt, sed maxima et diuturna est molestia, quae deinde consequitur; puer autem adhuc gracilis, licet vitalis, antequam edatur, aut paullo post pereat oportebit; non enim salutari aquarum praesentia defenditur, sed unus ipse mora longiori, contractionum uteri violentiam ferre cogitur, atque idcirco tot laborum fructus in irritum cadit.

Quantum porro periculi tum puero, tum matri impendere potest, si partus praecox arte provocetur? Nam praeter metritidem et ejus exitus, etiam uteri coacta dilatatio sinistrum eventum potest afferre, propterea nimirum quia si haemorrhagiae saepissime ab uteri atonia pendent, facilius ipsae mulieri funestae magis sunt eo tempore, quo natura nullam ad uteri contractiones propensionem ostendit.

Quamquam autem ea quae adhuc proposui, rem satis superque demonstrent, alia tamen non minoris ponderis sunt, quae breviter addam.

Etsi historiae non desint ex quibus colligimus, quosdam infantes, ex naturae praecepto, esse natos octavo, septimo, et etiam sexto (si fides auctoribus) graviditatis mense, eosque ad plures annos vitam perduxisse, ut Dux de Richelieu, qui ultimam tetigit senectutem; tamen ratio suadet eorum dispositionem ad longius vivendum eo esse majorem, quo ad perfectam evolutionem magis accedunt. Serius igitur, quam fieri potest, partum praecocem instituamus; major enim spes exsurgit diuturnitatis vitae in infantibus. Et quo ipsi robustiores erunt, eo paratiores ad tolerandas uteri contractiones, et ad actionem atmosphaerae promptiores sustinendam. Neque vero serius semper partum promovere nobis datum est;

quia pelvis sive angustia sive conformatio vitiosa impedimento est, quominus foetus vel octo, vel septem mensium spatio de utero educatur. Haud nos fugit praeterea, infantem quo propius ad maturitatem accedit, eo grandius caput interdum habere; atque haec alia ratio difficiliorem infantis egressum reddit. Si foetus igitur provocaretur, eductio hoc tempore diuturna, laboriosa, inutilis et plerumque vana esset, perinde ac si partum noni mensis instituere vellemus, quemadmodum celeberrimus Baudelocque animadvertit.

Praeterea qua unquam ratione fieri potest, ut firmitas cranii major vel minor in foetu determinetur! Si autem fons pulsatilis et suturae satis extensae sint, undenam speranda est necessaria reductio, quae respondeat angustissimae pelvi eamque totam pervadat? Scimus enim, reductionem, cui obnoxium est pueri caput, differre pro majori vel minori soliditate ossium cranii, et suturas ut etiam fontes pulsatiles, plus minusve diremptas esse. Nec raro deprehendimus nonimestrem foetum, in quo ossa propius ad invicem accedunt, dum aliis spatia quae locum obtinent suturarum, ratione aetatis ampliora sunt, ideoque ossa distant magis inter se.

Ecquis insuper est, qui nesciat, foetus volumen, aut ejus caput esse aliquando ejusmodi, ut per deformem pelvim viam sibi nequeat aperire? Interdum foetus adeo sunt evoluti mense septimo, ut nono. Hoc in casu quomodo infans e pelvi male conformata educi posset? Multa et mira sunt exempla mulierum, quae, licet pelvi angustissima, contra omnium expectationem, longis acerbisque fastidiis exemptae fuere solis naturae viribus, atque ita operationem caesaream minime pertulere. — Ex magna cranii flexibilitate id etiam quandoque fit, ut mulieres commode et feliciter pueros, qui ad maturitatem venerint, nullo adjutore pariant, quamquam diame-

tros minoris pelvis duos tantum pollices cum dimidio aequaret.

Solayres in quadam muliere animadvertit, caput foetus ita fuisse productum, ut ejus magna diametros esset octo circiter pollicum; quae autem ab una parietali protuberantia ad aliam transit, duos pollices cum quinque vel sex lineis comprehendebat. Idem ipsum observavit Baudelocque, et foemina, cui clar. de Matthaeis anno 1785 opem ferebat, feliciter primum filium enixa est; etsi diametros antero-posterior non amplius quam duos pollices cum dimidio haberet.

Quae omnia argumenta tanti ponderis mihi videntur esse, ut non tantum partus praecox arte sollicitatus, sed vel ipsa gastro-hysterotomia naturae viribus cedat necesse est. Sectio enim istiusmodi saepe mulieri, saepissime foetui fatalis est. Et cum gastro-hysterotomiam memoravi, praeterquamquod in vitiosa pelvi summopere utilis est et necessaria, illud etiam accedit, quod sectio illa matri sane, minime tamen foetui lethalis esse potest. Hac eductus a maternu sinu Manilius et Caesar, hac Eduardus VI. Angliae rex, hac Raymundus, a Catholica Ecclesia Nonnati nomine distinctus.

Uteri vulnera non ita esse mulieri funesta ut dictitant, evidenter patet non solum ex eo quod uterus aliquoties laceratus fuit, et abscessus inde pertulit suppurationes, cicatrices; non solum ex eo quod in sectione herniarum ventris foetus emissi et foeminae ad sanitatem restitutae, sed etiam ex eo quod ovaria ipsa sine vitae discrimine exstirpata sunt, quemadmodum se fecisse testatur Aumonier, et post illum Smyth ex Connecticut in ovario hydrope affecto, Macdowal in duabus mulieribus, et in muliere nigra anno 1836, John Lizars edimburghensis anno 1833 in muliere annorum 27. Nec certe alicui ignota est Gastro-hysterotomia a clar. Doct. Jo-

sepho Bresciani de Borsa praeterlapso anno Veronae instituta in qua matris filiique vitam conservavit. Nec alia plura deessent mihi exempla; sed relata tantum memoravi, ne thesim meam nullo fundamento innixam, me proposuisse quis arbitretur. Gastro-hysterotomiae utilitatem Simon testatur, qui duas supra septuaginta foeminas enumerat, quae una cum filiis a faucibus mortis ereptae Chirurgorum industriae vitam acceptam retulere. Idem probant Acta Academiae Chirurgicae Parisiensis quae ab anno 1750 usque ad 1825 centum et ultra novas recenset hujus generis operationes, uti apud Baudelocque legi potest. Quae omnia profecto nos magis in ea opinione confirmant gastro-hysterotomiam, partui praecoci artificiali esse praeferendam.

THESES DEFENDENDAE

I.

Cancer a scyrrho nisi gradu differt.

II.

Remediorum divisio in stimulantia et deprimentia haud sufficiens.

III.

Chloroseos pathologica conditio nec in aucta, nec in imminuta primitus et eminenter vi vitali, sed in processu plastico (assimilatione, haematosi) qualitative aberranti haeret.

IV.

Venaesectio haemorrhagiam nunc sistit, nunc promovet.

V.

Sanguinis crusta non semper gradum inflammationis indicat.

VI.

In diagnosi morborum pectoris stethoscopia summum auxilium.

VII.

Qui unicuique symptomati remedium opponit medicus, agyrta potius quam Hippocratis discipulus considerandus.

VIII.

Vita physica absque materie non datur, psychica absque illa in homine manifestari nequit.

IX.

Inter omnes corporis humani textus, morbis magis obnoxiae membranae, maxime mucosae.

X.

Topicae viscerum adfectiones variam, pro varia febri (naturae renisu) comitante, sibi exposcunt medelam.

XI.

Viscerum abdominalium obstructiones, febrium intermittentium, nunc causa, nunc effectus, saepissime complicatio.

XII.

Effectus stibii primarii et eminentes patefiunt in organis inferioribus vitae vegetativae, et systematis nervosi illa parte, quae energiae horum organorum providet.

XIII.

Sopor post delirium malum omen, bonum delirium post soporem.

XIV.

Membranae serosae inflammatae dolor pungens, mucosae ardens, parenchymatis gravativus, ossium terebrans.

XV.

Panacaea universalis non datur.

246